

COMMENTARIORUM

COMITIS

JACOBI PICININI

LIBER OCTAVUS FELICITER INCIPIT.

A Dveniente autem Duelli die Octavo Idus Novembris, tubicines Annibalis cantu martem incendentes, Venetorum exercitum apud Tumulum, quem incolae Mutelam vocant, qui locus erat utriusque militiae terminus, ad praelium provocarunt, quamquam milites Scipionis operam armis ante dedissent, & equos vel phaleris ornassent, vel taurino corio, argento & coloribus distincto, vel calibe perlucenti: ad idem Gubernatoris exercitus etiam accingebatur. Jam felicia Divi Marci signa prodeunt sub Tiberti Brandolini, & Rangonis custodia. Jam Scipio cum sex & decem aciebus confuse subsequitur. Is erat armis undique circumfusus, veste argento intexta, ubi erat Pictura Victoria Palmam in manu gerens, cassis autem aureo Pardo renitebat, nobile clarissimi Imperatoris patris ejus insigne. Sed ex omni ejus militia cuneum sexaginta militum delegerat, ut ipse primus omnium cum hoste manum confereret. Jam duo peditum Chiliarehae praecedunt, sequuntur ordine Gentilis acies, signa medium tenent. Postremo loco Scipionis acies disponuntur: ita enim ex ordine castrorum forte contigerat. Interferuntur aliorum peditum, & Oppidanorum copiae, quae ab omnibus Venetorum Regnis confluerant. Haec inter vineas, paludes, & lamas ita dispositae per quadam sylvarum deviae in Tumulo, qui erat utrique exercitui terminus, in medio latissimi campi convenire debebant. Iter enim rectum fossis, & obicibus lustratum à deputatis Centurionibus, Sagittariis, & Scoppeteriis defendebatur. Haec tamen non placebant Scipioni, sed omnia molestè pateretur, cum non spectarent ad officium & auctoritatem tam inclyti Imperatoris, oportebat tamen Legato morem gerere, ne Venetorum Regna in conditionem venirent, & ipsi tuto pugnare viderentur. Hastis onerati currus, & aenea tormenta exercitum sequebantur. Scipio Tumulum primus omnium tenuit; hunc duo inordinatorum peditum millia sequebantur. Praecedebant acies nonnullas Scipionem sequentes cunei duo. In primo Polonus erat, in altero Ludovicus Malvecius. In his erant ex omnibus aciebus duo delecti milites. Acies novem & quinquaginta dispositae reperiebantur, sed accedebat cuneus Scipionis, cum hostiles essent duae & Septuaginta, cunei vero quatuor. Illud tamen, inclyte Rex, verissimum putes, cuneos, acies, & peditum copias Scipioni ad tumulum eunti tamquam Defensori Liberatorique omnium congratulatas. Expectabat hostis adventum Scipio, cum accepta ab eo

A venia fretus, ad Annibalem me contuli, ut etiam militiae suae ordinem & dispositionem intelligerem. Hic illum vidi insignem Imperatorem, cujus sapientia, & rei militaris scientia, omnia diligentissime disponebantur. Is me ut in medio exercitus sui vidit, summo verborum honore primum complexus est, meque Scriptorem, & locupletissimum testem in rebus agendis fore apud omnes Mundi Principes, praesente Principe Mantuano, & Cullione, confirmabat. Promissi ac promissum veri Scriptori servavi. Ille ad acierum ordines regressus est; ego cum Cecco Calabro singulari Annibalis Secretario, cumque Mathia meo bonarum Artium Professore, qui ambo inermes erant, & Auditores olim mihi fuerant, omnem Imperatoris ordinem per quam diligenter circumspiciebam.

B Primò Expeditorum cuneus octingentorum, Sagittarii, qui à Liguria venerant, ducenti Scoppeterii, & Funditores centum in jugis pluviis sine ullo strepitu condensi, veluti columbae in atra tempestate, praecedebant. Hos sequebatur acies Galupporum, inde acies, quarum Dux erat Marchio Mantuanus, mox octoginta militum cuneus. Inde aliae atque iterum aliae acies, inter quas secundus militum cuneus ex Equestri ordine interponebatur, & alia peditum, ac Sagittariorum copia. Hic Anguigeri Ducis vexilla ventis agitata radiabant. Postrema regibat cum Duce Cullione Sfortia mira indole & incredibili magnanimitate Adolescentulus, ut Annibalis filium possis agnoscere. Sed inter postremas acies domesticorum peditum Annibalis Centuriones octo praecedebant, quos omnes magna virtute, & animo viros praedicabant. Trahebantur denique lanceis onerati currus quinque, & tormenta aenea sex, quas bronzinas Itali vocant. Has duas & septuaginta acies, cum utriusque ordinis septem cuneis, ipse Annibal tanto ordine construebat, ut omnes, qui ex praecoquo voce ex Urbibus visuri venerant, una mecum vehementer admirarentur. Sed per latos campos cornu facto ad Tumulum acies dirigebantur, cum explorator quidam properans: *Hostis*, inquit, *adeſt, o fortissime Imperator*. Circumspiciebat omnem planitiem tamquam facer avis, Annibal. Cumque hostem necunde cerneret: *ubi est*, inquit? At ille: *non rectè, sed per devia sylvarum, & paludes adventat*. Tunc ad me convertens lumina: *Sciebam*, inquit, *hos ad praelium non nisi simulatione venturos; sed pergamus quo capimus, ne quid nobis imputari possit*. Hic ego: *Habes*, inquam, *ante oculos apud Tumulum, quicum certare possis, Scipionem*,